

Letter 631: 26 December 1536, Strasbourg, Capito to Jodocus Neobulus

Printed in Johannes Magirus, *Kurtzer gründlicher Bericht von dem Buch Ambrosii Wolfii* (Tübingen, 1581), 90–3, and in Olivier Millet, ‘La correspondance du réformateur strasbourgeois W. F. Capiton avec Jodocus Neuheller, compagnon de table de Luther (1536–1538),’ *Bulletin de la Société de l’Histoire du Protestantisme français* 129.3 (1983): 79–81.

S. Quod ad Frechtum scribis displicere Domino Doctori, neque id nos probaremus, nisi ex re praesenti videremus nihil esse periculi. Apud Helvetias ecclesias cum adhuc viveret Zwinglius, colligere nitebamur, ex illis, quae ipse docuerat non tantopere distare illum a Domino Luthero, quo tempore in apologiam nostrae confessionis idem consensit. Post eius obitum accuratius rimati sumus, quae viderentur veritati convenire, et vulgo quoque recepta essent, occurrit cumprimis apologia Zwinglii ad Germanos principes, quam edidit ab Augustano conventu principum. Sexies eius concordiae causa Helvetias ecclesias accessi, aut amplius; Bucerus, opinor quarter. Tandem mense Martio aut Aprili huius anni 36 in confessionem Basileae consenserunt, approbante rerumpublicarum. Magistratu, quam non dubitamus, si ea digladio libellorum, quae praecessit, non obstaret, per omnia Domino Doctori satisfecisset. Habet enim ipsam veritatem, ut est in articulis nostris, nisi quod supervacanea cautione ineptius utuntur. Eam confessionem constanti assimulatione, tanquam doctrinae Oecolampadii et Zwinglii non adversaretur, quisque ad suos reversus publicavit ecclesiis. Dedimus operam, ut boni iuxta eandem docerent. Ex nostris egregium theologum Bernam misimus, quo minus fuci a quibusdam inconsultis introduceretur ecclesiae. Quid a conventu Witenbergensi reversi actum Bucerus his diebus. Nam hodie senatus mense Ianuario omnino scripturum se Domino Doctori decrevit, suo atque aliorum nomine, eoque postridie aut crastino, eius rei causa Basileam nuntius abibit, qui id referat, quanquam Basilienses nunquam in mora fuerint.

Rationem consilii nostri ego prosequor, ut respondeam litteris, quas tu ad Frechtum. Ex notis docendum suscepimus, quae nobis videbantur ignorare, deinde autoritate demortuorum et vulgi studiis ad aedificationem abusi sumus, prae nobis ferendo nihil esse nos docturos, cuius indicia aliqua ex Oecolampadio non haberemus, et quod vivus Zwinglius non esset approbaturus. Itaque sine magno motu non solum eucharistiae veritatem, sed totius Christi tractationem puriorem illis tradidimus. Evidentius enim praedicare Christum quidam putant quam antehac. Interea sunt, qui querantur de nobis, quasi de vetere sua sententia ipsos paulatim deduceremus, nec faciamus finem, donec totos ad Lutherum adduxerimus. Alii contra ineptiunt, id sentire se, quod hactenus tales voces iuxta contemnimus, in hoc incumbentes, ut recte doceatur apud eos, praesertim qui nos audiunt. Itaque non tam verbis quam rebus ipsis Lutheri autoritatem bona ex parte hac via apud Helvetios Dominus reparavit, quae ex longa ista dimicatione prorsus corruerat. Sed et populus praesertim Basileae videt longe aliud nunc esse, quod in ecclesiis reparandis ministri admoliantur, quam antehac. Neque adeo id contionatores dissimulant. Nunquam sic egi: Vos negatis praesentiam Christi omnimodam, neque etiam accusavi eos non intellectae virtutis ministerii ecclesiastici, sed longa et obliqua actione eo devenimus, ut Basileae iam ultro magnus quidam dixerit ad populum. Lieben frommen Christen, ihr sollen nit wehnen (ne putetis) daß man euch nichts dann brot und wein, oder leere zeichen gebe, wie ihr bißher gemeint haben und auch gelehrt worden seydt; multisque declaravit amplitudinem eius mysterii et quidem amplissime. Idem in superiore conventu diserte dixit, oportere summa prudentia erudiri plebem, quae necdum sciat id quod urgeamus et hactenus confiteantur intra hos parietes, exhibere nos ministros cum symbolis verum corpus et verum sanguinem Christi. Vereque nos

contendere, nullam fore concordiam, nisi et plebem sit docuerint, ac opus esse tempore ac dexteritate. Basileae nihil sit periculi sub tanto consule et senatoribus piis. Proinde cum verbis audeant in publicum irrequieta ingenia scribere, quod merito Dominum Doctorem conturbat, idem esse in articulis quod hactenus senserunt, acclamat istis ipsorum conscientia, iudicium vulgi, libri, qui exstant, ut magis suam prodant vanitatem quam ullo pacto officiant existimationi Lutheranae.

Scio D. Doctorem cariorem esse Christum et miseras ecclesias quam quod propter paucos sciolos, qui sunt ut fucus in oculo, velit tot millium salutem obstare; nam dissidium Lutheri libros excussit e manibus Helvetiorum, qui nunc pulchre recipiuntur. Novit D. Doctor quendam, cuius mentionem in litteris ad Basiliensem consulem fecit, quocum nobis pugnandum forsitan fuerit; litteris enim velitamus ac praeludimus pugnae, etsi nos modis omnibus malleus ut omissis rixis suis studiis ille navaret operam.

Deinde Schwenkfeldius qui versutissime dissipat multas ecclesias, nulla iniqua suspitione gravabitur, brevi veniet in apertum traducendus, nec erit, ut spero, quod eam rem sit desideraturus D. Doctor aut candoris aut iudicii nostri, quantum videlicet attinet ad cavillas vanorum discutiendas. Videtur autem pro eius gravitate ut in loco alii eius asserant auctoritatem. Quod Bucerus candide ac feliciter et ego sedulo facimus. Schwenkfeldius ecclesias gravius afflixit quam vos istuc facile credideritis, occupat primates rerum publicarum, fontesque inficit, scribit anonyms libellos in Lutherum et nos, epistolas accuratas, catechismos et id genus ex professo, itineraque multa suscipit, duntaxat deiiciendi Lutheri gratia, cuius discipuli ex Novo Testamento praefationes Domini Doctoris adimunt et alias docent reiiciendas esse.

Nos contra statuimus, non abs re concordiam sinceriter inter nos non constaturam, nisi Lutherana symmistrarum omnium manibus terantur. Ea nunc est contentio. Fac, iam aliquid veneni haesisse in populo ac persuasum esse Lutherum stipitem esse prorsus aut hominem malitiosum, an non unus et alter sermo lectus eius infamiae authorem ignominia protinus notaret? Itaque si amas Christum, illud a Domino Doctore impetres, ut si quid offendat quod per nos speret amoliendum, litteris eam provinciae partem nobis iniungat, audiatque nos animo simplici quod res est referentes. Nam tot vigiliis, tot periculis, tantaque temporis iactura haec spes concordiae nobis constat, ut nobis condonandum videatur, si quid eiusmodi alii designarint, quod quidem neque causae Christi, neque nomini Lutheri poterit obesse. Vale in Domino, ipso die Stephani, anno 1536. Argentorati.

V. Capito.